

me congruit naturae humananae, verum etiam jure naturali praecipitur (1).

Prob.:—*(1.º Pars Congruit.* 1.º) *In Ordinatione rerum* maxime convenit ut Deus eligat ea, quae sunt ad cultum sibi debitum aptissima: sed talis est Oratio in sensu petitionis accepta; nam «per orationem homo Deo reverentiam exhibit, in quantum ei se subjicit, et profitetur orando se Eo indigere sicut auctore suorum bonorum».

2.º Decet hominem ad Deum praecipue moveri *per fiduciam*; sed, quum aliquid á Deo petimus, fiducia movemur ad Eum, ut ad patrem nostrum et benefactorem, secundum ea S. Doctoris: «Deus nobis multa praestat ex sua liberalitate, etiam non petita; sed quod aliqua vult praestare nobis potentibus, hoc est propter nostram utilitatem: ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrum auctorem» (2).

2.ª Pars.—*Praecipitur.* Omnibus inest inclinatio naturalis ac invincibilis ad orandum; ea autem inclinatio lex naturae putanda est; oratio igitur jure naturali prescribitur.

Prob. *major*: Experientia universalis constat homines ubique terrarum á Numine summo precari, ut det praemia virtuti, aut veniam peccatorum condonet, ut prospera et opportuna largiatur, mala autem avertat. In arduis auxiliis á Deo rogamus, et in periculis una clamamus voce: Heu! Domine, salva nos! Unde merito scripsit Plutarchus: «Urbem templis diisque carentum, quae *precibus...* non utatur, nemo umquam vidit». Et Pius IX R. P. in epist. ad Praefectum Caerim. Martinucci. 30 Decemb. 1872 scripsit: «Se credendi legem statuit supplicandi».

Prob. *minor*: Inclinatio illa lex naturae putanda est; homo enim orationi intentus est, eo quod recte judicat se multis egere, Deum autem esse bonorum omnium aucto-

## CAPITULO VI

DE LA ORACIÓN TEOLÓGICAMENTE CONSIDERADA, AD  
MENTEM DIV. THOMAE.

### I

#### QUID SIT ORATIO

Oratio est «petitio decentium impetrandarum a Deo, et cum ascensu mentis ad Deum» (1). (Vide amplius P. Valgornera, Ord. Praed., Vol. I, pag. 184).

### II

#### UTRUM ORATIO SIT DE JURE NATURAE?

Rationalistae (ducibus J.-J. Rousseau, Kant, Saisset, Damiron et F. Simón) orationem, quatenus est gratiarum actio, optimam esse fatentur; orationem vero in *sensu petitionis* acceptam rejiciunt ut inutilem, Dei Sapientiae, imutabilitati et bonitati injuriosam, hominisque dignitati oppositam. «C'est quand la priere contient une demande qu'il paraît difficile de la concilier avec l'inmutabilité divine; car, d'un côté, on ne demande que pour obtenir, et, d'un autre côté, Dieu ne change rien à ses décrets» (2).

#### ADVERSUS EOS SIT SEQUENS

Thesis:

Oratio, in *sensu petitionis accepta*, non solum maxi-

(1) Div. Thom. 2.ª 2, ae q. 83, art. 1. O.

(2) Damiron, Cours de phil. morale, p. 238.—Simon, La Rel. nat. p. 377, 272.

(1) Sum. Theol. 2.ª 2, ae, q. 83, a 1—17; et Contra Gentes, lib. III, cap. 65.

(2) Sum. Theol. 2 a 2, ae q. 83, a. 2—ad 3 m. et art. 2 et 4.

rem et largitorem: «Nec in hunc furorem, ait Seneca, omnes mortales consensissent alloquendi surda numina et inefficaces deos, nisi nossent illorum beneficia, nunc ultra oblata, nunc *orantibus* data magna et oportuna».

EN OBJECTIONES RATIONALISTARUM ADVERSUS ORATIO-

NEM: obj. 1.<sup>a</sup>)—Oratione petimus ut fiat *miraculum* et ordinatio Providentiae immutetur: unde, oratio est Deo injuriosa (1).

«Si nous savions toujours ce que nous faisons quand nous prions, nous ne demanderions pas si facilement des miracles» (2).

Resp.: *Neg. ant.* Non enim propter hoc rogamus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit *per orationes sse implendum*; ut scilicet, «homines postulando mereantur accipere quod eis Omnipotens Deus ante saecula disposuit donare» (3).

Unde *nego* Conseq. nan difficultas a rationalistis allata nititur sophismate, quod vocant *ignorantiam elenchi*.

Obj.)—Deus *scit* ea, quibus indigemus; aliunde liberalius est dare aliquid non petenti, quam dare petenti. Ideo non est conveniens Deum orare; aut salutem oratio et prorsus inutilis.

Resp.: *Concedo utrumque antecedens*, sed *nego consequiam*; nam ex altera causa, oratio est, conveniens et utilissima: «ut fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum tamquam ad auctorem sonorem sperum» juxta D. Thomam.

sur les désirs formés au dedans de nous.... Ces instances font de l' homme agenouillé devant Dieu, un cortisan mendiant une faveur» (4)

(1) Ita omnes rationalistae: v. gr., Rousseau, «Profess. de foi du vic. savoy. Damiron», Cours de phil. morale, p. 235.

(2) J. Simon, «La Religi. nat. pag. 379—380.

(3) Sum. Theol. 2<sup>a</sup>. 2<sup>oc</sup>. q. 83. art. 2 et p. 1a. q. 23, art. 8, et Sum. Contra Gentes, lib. III, cap. 65.

(4) J. Simon, La Rel. nat. pag. 382—383.

Resp: *Nego 1um Antec.* Oratio enim, nisi tantum ex abusu, non fit magis superstitionis, quam caeteri actus religionis externae.—*Nego 2um.* antec, praesertim, cum hodierni rationalistae ipsos homines humiliter rogare non erubescant, ut dignitates impetrant. Unde *nego* Consequentiam: nam oratio vocalis orationi internae convenienter et utiliter adjungitur, sive ad excitandam interiorem devotionem, sive quasi ad redditionem debiti corporis, sive ex vehementi affectione, secundum illud psalmi: «Lætatum est cor meum, et *exultavit lingua mea*» (1)

Obj. IV) Si decet orare, spiritualia tantum rogare oportet; unde *materialia* petere à Deo non licet. «Nous ne dirons pas: Mon Die, fais pousser nos épis; mais nous dirons: Mon Dien, doune-moi le courage de semer; ou: Console-moi de n' avoir pas recolté; Voila la vrai prière la seule permise» (2)

Resp.: Dis. *ant.*: Deum rogare debemus ut spiritualia nobis concedat *primario* et *principaliter*, *conc.*; exclusive, *nego*.

*Distin.* pariter *conseq.*; non decet materialia petere *primario* et *principaliter*, *con.*; secundario et conditionante, *nego*.

Revera «hoc licet orare, quot licet desiderare» (3). Sed temporalia licet desiderare, non quidem principaliter, sed «in quantum per ea vita temporalis sustentatur, et in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum. Et ideo pro temporalibus licet orare» (4). Vide insuper P. Balgornera, ord. Praed. pag. 218—22).

### III

#### DE NECESITATE THEOLOGICA ORANDI

Praeter q. 83, art. 2., 2.<sup>a</sup>, 2.<sup>ae</sup>, documenta ex S. Scriptura

(1) Psal. XV, 9. —(2) J. Simon, *La Religi. nat.* pag. 381—382. —(3) S. Aug. Ad Prob. Epist. 130, cap. XII. —(4) Sum. —Theol. 2.<sup>a</sup>. 2.<sup>ae</sup>, q. 83 art. 6.; et Aristotel. Eth. cap. VIII, 1 Ethic.

afferimus, quibus evidenter constat Deum ordinasse orationes tamquam causas secundas ad obtainenda bona, queis indigemus: (1)

- Matth. 26.—«Orate, ne intretis in temptationem».  
Jacob. 5.—«Orate pro invicem, ut salvemini».  
Jacob. 4.—«Non habetis propter quod non postulatis».  
Ad Colosse. 4.—Orationi instate vigilantes in ea».  
Matth. 7.—«Petite et accipietis».  
Ad Thessalonicens. cap. ult.—«Sine intermissione orate».  
Luc. 18.—«Oportet semper orare».  
Matth. 17.—«Hoc genus daemoniorum non ejicitur nisi per orationem et jejunium».  
*Ad Rom. 10—«Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit».*  
Ad Ephes. 6.—«Orantes omni tempore».  
S. Augustinus, DE DONO persev. cap. 16 dicit: «Constat Deum alia danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam.» Et luculenter constat ex Catechismo ad Parochos, parte IV, cap. I,

IV

Nendum, ait P. Billuart, utilis est et conveniens oratio ad salutem, sed et omnibus *adultis* necessaria necessitate medii, non quidem ex *natura rei*, quia non desunt alia media, quibus potuisset procurari salus; sed EX ORDINATIONE DIVINA, quae disposuit, ut per orationem tanquam per medium convenientissimum, obtineretur salus, ut patet ex dictis. Vide insuper 4<sup>am</sup> partem, cap. 1; n.<sup>o</sup> 2. Catechismi ad Parochos.

Ex quo inferes orationem etiam esse necessariam necessitate praecepti tum divini tum naturalis. *Naturalis*, quia posita ordinatione divina est medium necessarium ad salutem; *divini*, ut patet ex variis locis S. Scripturae citatis.

Quando urgeat hoc praeceptum? (2)

(1) Catechism. ad Parochos, pars 4, a cap. I, nrs. 1, 2, 3, 4.

(2) S. Ligorio dice asf: «Salmantenses cum Trullenchs et Villal, contra

Resp., ait Billuart, urgere dum instat gravis necessitas, v. gr., superandi tentationem, actum contritionis eliciendi, sacramenta suscipiendo, opus arduum assumendi, in periculo mortis, etc.

Unde per accidens et saltem ex lege charitatis tenetur quilibet homo orare, inter alios, in sequentibus casibus:

*Primo*, quando adest necessitas gratiam recuperandi.

*Secundo*, quando adest periculum gratiam amittendi.

*Tertio*, quando adest periculum grave propiae mortis.

*Quarto*, quando occurrit aliqua spiritualis necessitas proximi, cui aliter surcurri non potest, nisi orando pro eo.

*Quinto*, quando Respublica seu Communitas adest in aliqua gravi necessitate, seu periculo, sive spirituali, sive temporali.

In istis enim, et similibus casibus, tenetur quis *ex populo* orare *sub gravi*, vel levi culpa omnino destimanda prudenti iudicio, juxta gravem vel levem casus indigeniam et urgentiam. Ita communiter auctores.

Respectu autem aliquarum *particularium* personarum potest insuper adesse obligatio orandi in quatuor especialibus casibus:

*Primo*, quando adest specialis status, vel Ordinis Sacri vel Beneficii, vel Religionis profesae.

*Secundo*, quando adest speciale votum.

*Tertio*, quando adest speciale pactum.

*Quarto*, quando adest speciale praeceptum impositum a Superiore, vel in Sacramento Penitentiae. Ita communiter.

alios, censent orationem obligare *perse* triplici tempore, scilicet, in instanti usu rationis, in articuli mortis, et semel saltem in anno. Dicitur *perse* nam *per accidens* certum est obligare, quando urget magna tentatio, quae alias vinci nequeat, vel quando urget magna calamitas populi aut proximi». En la introducción del libro.

V

DE DIUTURNITAE ORATIONIS

De oratione juxta Div. Thomam (q. 83, a. 14, 2<sup>a</sup> 2<sup>se</sup>) dupliciter loqui possumus. Uno modo secundum ipsam, et alio modo secundum causam suam, quae est desiderium salutis. Oratio, secundum se spectata non potest esse continua; quia oportet aliis operibus vacari; et contraria tenentes tamquam haeretici sunt habiti sub nomine Euchitarum apud Epiph., haeresi ultima; et S. Agust., haeresi 37.

Oratio vero, secundum causam spectata, debet esse continua quia **desiderium** salutis, quod est ejus causa, debet esse in nobis continuum vel actu, vel virtute. Et hoc sensu possunt intelligi orationis continuae praecpta Luc. 18: «oportet **semper** orare et non deficere» Ad Ephes. 6: «orantes omni tempore»; et I Thessal. 5: «Sine intermissione orate». (Vide P. Morán, Teología Moral, vol. I, numº 584, pag. 279).

VI

DE MERITO ORATIONIS

Praeter effectum spiritualis consolationis, quam praesimaliter offert, est meritoria impetratoria et satisfactoria.

Oratio **est meritoria**, et quidem **de condigno** vitae eternae et augmenti gratiae sicut quilibet aliis actus virtutis, in quantum procedit ex radice charitatis sue gratiae sanctificante, mediante religione, juxta Div. Thomam 2<sup>a</sup>. 2. q. 83, art. 15. Intellige hoc meritum de condigno respectu orantis, alterius pro quo oret, sicut docet Angelicus Doctor in hac quaestione in resp. ad 2um.

Tamen **alteri** potest orans **mereri de congruo**.

**Est impetratoria** illius quod petimus ex **gratuita misericordia** et **fidelitate** Dei, qui dignatus est promittere **se daturum** ea, quae peteremus, juxta Div. Thomam, in 2a. 2ae. q. 83, art. 15.

**Est satisfactoria**, in quantum nobis adhuc mortalibus et miseris est opus poenale asumptum in vindictam peccatorum; et quia licet habeat suavitatem spiritus, habet etiam afflictionem carnis.

Praeterea, Div. Tomas, in «Expositione Orationis Dominicæ» ait: «Nota insuper quod tñia bona facit oratio»

«**Primo**, enim est **eficax** et utile remedium contra mala.

«Liberat enim a peccatis **commisis**.» Psl. XXXI; «**Tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad Te omnis sanctus**.» Sic «latro in cruce orabit, et remissionem obtinuit:» «Hodie tecum eris in Paradiso.» Luc. XXIII. Sic publicanus oravit, et «**Justificatus descendit in domum suam**», Luc. XVIII.

«Liberat etiam a timore peccatorum **supervenientium** a tribulationibus et tristitiis. Jacob. ult. cap.: «Tristatur quis in vobis? **oret** aequo animo»

«Liberat etiam a persecutionibus et inimicis. Psl. 108: «Pro eo ut me diligenter, detrahebant mihi, ego autem orabam.»

«**Secundo**, est efficax et utilis ad omnia desideria obtinenda. Matt. II, «Omnia quaecumque orantes petitis, credite accipietis;»

«**Tertio**, est utilis, quia facit nos familiares Deo. Psl. 140: «Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.»

«**Quarto**, delet peccata venialia et quotidiana, ex textu expreso **in cap.** De Quoti. 20 dis. disp. 33 de **Penitentia**.

VII

DE INFALLIBILI EFFICACIA ORATIONIS

Utrum Orans semper impetrat quod petat?

Oratio ex Christi promissione habet *infallibilem* impre-  
trandi vim, dummodo adsint conditiones requisitae. Ita  
omnes Theologi cum Sto. Thoma.

Documenta ex Scriptura Sacra sunt sequentia:

*Deutæronomii*, cap. IV, v. 7: Deus noster *adest cunctis obsecrationibus nostris.*»

*Psalmi*, IX, «Psallite Domino..... non est oblitus clamor-  
rem pauperum.»

*Ecclesiastici*, cap. II, v. 12..... «aut quis invocavit eum,  
et despexit illum?»

*Ecclesiastici*, cap. XXI, v. 6. «Deprecatio pauperis ex ore  
usque ad aures ejus perveniet, et judicium festinate adve-  
niet illi.»

*Isaiae*, cap. 41, v. 17. «...Ego Dominus exaudiam eos,  
Deus Israel, non derelinquam eos.»

*Isai*, cap. 65 v. 14: «Eritque antequam clament, ego exau-  
diam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.» Et catechismus  
S. Pii V, Ord. Pred. ait:

*Math.* cap. VII, «Petite et *dabitur vobis*; quaerite et  
invenietis: pulsate et aperietur vobis. Omnis *enim* qui  
petit, accipit; et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur.»

*Marc.* cap. XI, v. 24: «Propterea dico vobis, omnia que-  
cumque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient  
vobis.»

*Joann.* cap. XIV, v. 13: «Et quodcumque petieritis Patrem  
in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.»

*Jacobi*, cap. I, v. 5: «Si quis autem vestrum indiget sa-  
pientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non  
improperat: et *dabitur ei*.  
...

VIII

CONDITIONES, QUIBUS CONCURRENTIBUS ORANS SEMPER  
IMPETRAT QUOT PETIT, SUNT SEQUENTES:

1.<sup>a</sup> Prima conditio requisita ad efficaciam et infallibilem  
effectum orationis est, quod petantur *necessaria* et *utilia*  
ad salutem.

2.<sup>a</sup> Secunda conditio est ut petamus. Sub *pietate* inte-  
ligitur Fides, Spes, dilectio, humilitas et attentio.

*Marc.*, X, «....Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia  
quicumque dixerit huic monti: Tollere, et mittere in mare;  
et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quod-  
cumque dixerit, fiat, fiet ei.»

3.<sup>a</sup> Tertia conditio est reconciliatio cum proximis nos-  
tris, nam *Marci*, cap. XI, v. 25 legitur: «Et cum stabitis ad  
orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem: ut  
et Pater vester, qui in coelis est, dimittet vobis peccata ves-  
tra». Et vide *Matth.*, cap. VI, v. 14.

4.<sup>a</sup> Quarta conditio ut orans sit Deo gratus, nam *Job*, cap.  
XI, v. 11, legitur: «Ipse enim novit hominum vanitatem,  
et vides iniquitatem, nonne considerat?».

5.<sup>a</sup> Quinta conditio est orare in nomine Christi; nam  
legitur in *Evangelio Joannis*, cap. XIV, v. 14: «Si quid  
petieritis me in nomine meo, hoc faciam»; et in v. 13: «Et  
quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc fa-  
ciam.»

7.<sup>a</sup> Septima conditio est attentio, nam legitur *Matth.*,  
cap. XV, v. 8: «Populus hic labiis me honorat: cor autem  
corum longe est a me.»

*I Corinth.* cap. XIV, v. 15: «.... orabo spiritu, orabo et  
mente; psallam spiritu, psallam et mente.»

8.<sup>a</sup> Octava conditio est quod oratio fiat pro se ipso et  
non pro aliis, justa div. Thomam, in q. 83, art. 7, ad 2um,  
2.<sup>a</sup> 2.<sup>a</sup>

Quibus enim ex charitate et orare possimus ac debeamus etiam pro aliis, juxta illud Jacobi, 5: «orate pro invicem, ut salvemini», tamen multa difficultior impetratio pro aliis, quam pro seipso, cum alii possint obicem pone-re ratione propiae indispositionis, quam indispositionem tollere pro aliis non est in potestate orantis, sicuti est in sua potestate pro se ipso. Sed aliter dicendum est, si illi, pro quibus orat, sint debite dispositi, nam tunc, etiam habebit oratio suum infallibilem effectum seu impetrationem, ut recte docent teologi.

9.<sup>a</sup> Nona conditio est ut fiat perseveranter, id est, si prima vice non obtineamus, iterum ac iterum instemus. Unde Christus Dominus dicit, Lucae, cap. 18: «Oportet semper orare et non deficere.» Et latius et luculenter patet ex parabola amici apud S. Lucam, cap. XI, v. 5, 6, 7 et 8:

IX

CUR NON EXAUDIANTUR ORANTES

Si non impetrat orans, provenit ex defectuali cuius ex predictis conditionibus, ut dicit Jacobus in sua canonica, cap. IV, v. 3: «Petitis et non accipitis: eo quod **male** petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis».

*Proverbiorum*, cap. I, v. 28, 29 et 30: «tunc invocabunt me, et non exaudiam: mane consurgent et non invenient me; eo quod exosam habuerit disciplinam et timorem Domini non suscepit, nec acquieverint concilio meo, et detraxerint universae correptionis meae».

*Proverbiorum*, cap. XXI, v. 13: «Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur».

*Proverbiorum*, cap. XXVIII, v. 9: «Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis».

*Michae*, cap. III, v. 1, 2, 3 et 4, et 5: «Audite princi-

pes Jacob et duces domus Israei.... qui odio habetis bonum.... qui comederunt carnem populi mei.... tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos; et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis».

*Zachariae*, cap. VII, a versu 9 usque ad 13.<sup>um</sup> «Judicium verum judicate, miseraciones facite... et viduam, et pupillum, et advenam et pauperem nolite calumniari: et malum vir fratis sui non cogitet in corde suo.

Et noluerunt attendere.... et aures suas agravaverunt ne audirent.... sic clamabunt.... et **non exaudiam**, dicit Dominus exercituum».

X

PRO QUIBUS ORANDUM

Oratio **privata** fieri potest pro omnibus, **qui nondum sunt in termino**; ideoque non solum pro nobis, sed etiam pro quibuscumque aliis, etiam sceleratissimis peccatoribus, pro paganis, judaeis, schismaticis, et excommunicatis. Quia juxta S. Augustinum, epist. 121, cap. 12, illud debemus orando petere quod debemus desiderare, quod est praeceptum charitatis, ut ait Div. Thomas. Ibide, Jacobi, cap. V: «Orate pro invicem ut salvemini.»; Et I ad Timoth. cap. 2. «Obsecro vos primum omnium fieri obsecrationes orationes.... pro omnibus»; et in Oratione Dominica non dicimus «*Da mihi, et libera me*»; sed dicimus: «*Da nobis, libera nos*». Id confirmat Ecclesiae praxis in feria sexta Paraseves in Mayori Haebdomada.

*Nota bene*:

1.) In oratione **publica** non licet orare pro excommunicatis tamquam membris Ecclesiae et expresso nomine, quia non sunt membra Ecclesiae; licet tamen **tacito nomine** et ut paenitentia ducti ad ejus gremium revertantur, juxta Billuart, dis. I. II. art. VI. De Oratione.

2.<sup>o</sup>) Dixi notanter, *qui nondum sunt in termino*,  
a) quia non est orandum pro beatis in celo, nam nostris  
orationibus ipsi non indigent, sed potius eorum orationibus  
nos indigeamus;

b) Neque pro damnatis in inferno (1), tum quia sunt  
extra vinculum charitatis qua opera vivorum communi-  
cantur mortuis, tum quia sunt absolute in termino, in  
quo receperunt ultimam suis meritis retributionem, scilicet  
aeternam damnationem, quae minui non potest.

c) Pro animabus existentibus in Purgatorio pium est et  
utile, quia etsi sint in ipso termino merendi et demerendi,  
non sunt tamen in termino mansionis, et quia (2) poena  
purgatorii est in supplementum satisfactionis in hac vita  
non impleta: opera unius valere possunt alteri ad satis-  
factionem, sive is sit mortuus, sive vivus, modo non  
sit totaliter in termino nec extra communionem sanctorum,  
quales revera non sunt animae purgatorii: et ideo  
orationes vivorum possunt illis prodesse non solum ut  
sunt satisfactoriae, sed etiam ut sunt impetratoriae et me-  
ritoriae de congrua:

(Vide amplius P. Valgornera, vol. 1.<sup>o</sup> pag. 199-208).

XI

PRO QUIBUS DAM VIVIS SPECIALITER ORANDUM

1.) *Pro semetipso*, nam charitas bene ordinata incipit  
a semetipso».

2.) *Pro illis*, cum quibus pactum habemus, vel justitia  
vel charitas aut pietas nos obstringit.

3.) *Pro praedicatoribus fidei*; nam Apostolus, ad  
Ephes. cap. VI, (9) ait: «vigilantes in omni instantia, et  
obsecratione pro omnibus sanctis; et pro me, ut detur nihili  
sermo in apertione oris mei cum fiducia, *notum facere*  
mysterium Evangelii»

Ad Colossenses, cap. IV, v. 3: «orantes simul et pro no-

(1) D. Thom. Supp. q. 71, art. 5 (2)—Div. Thomas, Sup. 971, art. 6.

bis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum  
mysterium Christi».

II Ad Thessalon. cap. III, v. 1: «orate pro nobis, ut ser-  
mo Dei currat, et clarificetur».

4.) *Pro peccatoribus*: nam, Jacobi; cap. V, v. 16,  
legitur: «Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et  
*orate* pro invicem ut salvemini: multum enim valet de-  
precatio justi assidua».

5.) *Pro regibus et superioribus*: ita constat ex I Ad  
Timotheum, cap. II, v. 1, 2, 3, «obsecro igitur primum  
omnium fieri obsecrations, orationes..... pro omnibus  
hominibus, pro *regibus*, et omnibus qui in sublimitate  
sunt, ut quietam et tranquillam vitam gamus in omni pie-  
tate et castitate. Hoc enim bonum est, et acceptum coram  
Salvatore Nostro Deo».

6.) *Pro inimicis*: Ex Matth. cap. V. versu 44: «orate pro  
perseverentibus vos»; et ex Luca cap. VI, v. 28: «Benedicite  
maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos»;  
et Act. Apost. cap. VII, v. 58 et 59. «Et lapidabant Stephanum  
invocantem et dicentem: Domine Jesu, suscipe spi-  
ritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna,  
dicens:» Domine ne statuas illis hoc peccatum», et in cruce  
clamavit Christus:» Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid  
faciunt; et in oratione dominica, dicitur: «dimitte nobis  
sicut et nos dimittimus debitoribus nostris».

7.) Pro bonis et piis orandum etiam est; ex 4 Reg. 19,  
12, 13, 14.

8.) *Alium pro alio*: ita constat ex Jerem. 42, 2, 20  
Baruch, 1, 13; 2 Machab. 1, 6; Ephes. 6, 18; Colos 4, 2;  
1.<sup>a</sup> Thessal. 5, 25; 2.<sup>a</sup> Thesal. 3, 1; 1.<sup>a</sup> Timoth. 2, 1, Jacob;  
5, 16: et ex revelationibus S. Gertrudis et S. Theresiae et  
ex dogmate communicationis meritorum Sanctorum, ac  
eorundem communicationis.

*Nota bene*. Vide catechismum, ad Parochos, cap V, a  
numero 1 usque ad 8, part. IV.

9.<sup>o</sup> Pro hostibus Ecclesiæ: Vide catechismum ad Parochos, part. IV, cap. V, n.<sup>o</sup> 3.

XII

CUI ORANDUM

1.<sup>o</sup> Utrum solus Deus debeat orari? D. Thomas, 2:<sup>a</sup> 2.<sup>ae</sup> q. 83 art. IV, ait: «Oratio porrigitur alieni dupliciter: uno modo quasi per ipsum *implendam*; alio modo sicut per ipsum *impetrandam*. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigitur; quia omnes orationes ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quæ solus Deus dat secundum illud Psalmi 83, versu 12; «..... gratiam et gloriam dabit Dominus».

2.<sup>o</sup> Licitum est et utile oare sanctos in cœlo cum Christo regnantes, sive angeles, sive homines, *ut intercessores*, qui a Deo impetrent, quoë petimus. Et hoc sensu ait D. Thomas: «Secundario modo orationem porrigitur sanctis, angelis et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut per eorum precibus et meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apocalypsis, cap VIII, v. 4: «et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo». Et hoc etiam patet eo ipso modo, quo Ecclesia utitur in orando. Nam a Sancta Trinitate petimus, ut nostri miseatur: ab aliis autem Sanctis quibuscumque petimus ut orent pro nobis» (1)

Propterea est de fide decisa in conc. Tridentino, sec. 25, contra Petrobrusianos, Waldenses, Wieleffitas, maxime Luthreanos et Calvinistas qui Vigilantii errorem diu a Sto. Hieronymo confutatum suscitantes, contendunt illicium esse et vanum invocare Sanctos; quosque ideo impios declarat S. Synodus.

*Nota bene:* 1.<sup>o</sup> Justos in hac vita peregrinantes licite invocari, ultro concedunt haeretici, idque liquido constat

(1) Sum, Theol I.<sup>o</sup> 2.<sup>ae</sup> q. 83, art. IV.

ex pluribus S. Scripturae locis: I Regum, cap. 7; Job, cap ultimo; ad Ephes. 6; I ad Thesal 5; II ad Thesal 3; ad Colos. 4; ad Habr. 13; ad Rom. 15; ubi dicit Apostolus: «Obsecro vos ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum».

*Nota bene:* 2.<sup>o</sup> Omnes praefacti haeretici negant sanctos in coelis orare pro nobis *specialiter et in particulari*; posteriores tamen sectarii nunc concedunt eos orare pro Ecclesia in genere seu in specie, non vero in particulari.

*Probatur* nunc thesis: Licitum et utile esse orare Sanctos in coelis, sive angelos etc.:

A Ex Jacob, cap. V. «Voca ergo si est qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum convertere id est, angelorum, juxta D. Augustinum.

*Genes*, cap. 48, dicit de Jacob benedicens filiis suis: «Angelus qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham, Isaac».

*Exod*. cap 32, Moyses sic orat: «Recordare, Domine, Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per semetipsum».

Daniel, cap. 3, pueri in fornace ejecti implorant Dei misericordiam per merita sanctorum, his verbis: «Neque auferas misericordiam a nobis propter Abraham dilectum tuum et Isaac servum tuum et Israel sanctum». Vide Jacob, cap. 5.

*Psal*. 131 ubi, Salomon in cuius persona scriptus est psalmus iste, per merita patris sui jam defuncti, sic orat. «Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus». .... «Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui». Vide insuper *Zachariae*, cap. 11; *Tobiae*, 12; *Apocalip.* 5 et 8; *Job*. 5; I *Reg*. 7; *Job* ultim; *Jerem*. 42; *Baruch*, 1; *Ad Rom*. 15.

B Monumenta vide apud P. Billuart, diss. 11art. IV, tractatur de oratione; et Natalem Alexan. 5. saec, dissert. 25, q. 2, art. 2, prap. 2.